

cœlestibus salutatus est, quam rex Judæorum pro- A scriptus cruci; minoratus primo a patre modicum quid citra angelos, et ita gloria et honore coronatus (Ps. VIII, 6; Heb. II, 7). Si ob hæc caput ei tuum debes, tale si potes ei repende, quale suum pro tuo obtulit: aut nec floribus coroneris, si spinis non potes, quia non floribus potes.

CAPUT XV.

Serva Deo rem suam intaminatam. Ille eam, si velit, coronabit; imo et vult; denique invitat: *Qui vicerit*, inquit, *dabo ei coronam vitæ. Esto et tu fidelis ad mortem* (Apoc. II, 10). Decerta et tu bonum agonem, ejus coronam et Apostolus repositam sibi merito confidit (II Tim. IV, 7, 8). Accipit et angelus victoriæ coronam procedens in candido equo, ut vinceret (Apoc. VI, 2). Et alius iridis ambitu ornatur (Apoc. X, 1), cœlesti prato (a). Sedent et presbyteri coronati B (Apoc. IV, 4): eodemque auro et ipse Filius hominis supra nubem micat (Apoc. XIV, 14). Si tales imagines in visione, quales veritates in representatione? illas aspice, illas odora. Quid caput strophiole aut dracon-

COMMENTARIUS.

qui quod in lilio purpureo, poetarum hyacintho, græcis literis legitur inscriptum AI AI, nomina regum esse arbitrantur, pastoris Virgiliani versiculo subintellecta. RIC. — *Utrisque liliis et omnibus violis.* Sic in fine libri de Spectac., spectacula dixit utraque cavea et omni stadio gratiora. Alba lilia sunt confessorum, purpurea martyrum. RIC.

CAP. XV. — (a) *Et alius iridis ambitu ornatus cœlesti prato.* Sic habet vetus exemplar. Eleganter autem et apposite Septimius iridem nuncupavit cœleste pratium, ob speciem smaragdi instar viridantem. Sic enim in Apocal. describuntur: *καὶ ἴρις κυκλόθεν τοῦ θρόνου ὁμοία ἐράσει σμαραγδίνῃ.* RIC.

(b) *Caput in strophiole aut draconario.* Tenuioribus scilicet coronis utebantur antiqui, inquit Plinius, strophia appellantes, unde strophiole. Porro draconarium videtur ejus sæculi vocabulum fuisse pro co-

rolla. RHEN. — Ego vero puto draconarium coronam intelligi confectam, aut ex draconia herba antidoto adversus venena, ejus meminit Plinius lib. XXIV, cap. 19, aut ex gemmis draconilibus de quibus idem Pl. lib. XXXVII, c. 10. PAM. — *Aut draconario.* Catenulae sunt draconaria ex auro argentove aut etiam alia materia in modum draconis effectæ. Monilia vocat dracones Lucianus, τὸς περὶ κτηνοῦς ἢ βράχους, δράκοντας. LE PR.

(c) *Nam et reges nos Deo et Patri suo fecit.* Hoc sæpissime ingerit Septimius, sublinem christianæ familiæ dignitatem, quam et præclare extulit Justinus adversus Tryphonem Jud. ἀρχιερατικὸν τὸ ἀλλοθινὸν γένος ἔσμεν τοῦ Θεοῦ.

(d) *Quem et bonus miles.* Loquitur de milite isto qui coronam in manu, non in capite, gestaverat, ob eam rem in carcerem raptus. RHEN.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

LIBER DE FUGA IN PERSECUTIONE.

ARGUMENTUM. — Liber de Fuga in persecutione, hac jam fervente anno 202 scriptus, Tertulliani ingenii valde præfracti etiamnum signum est, in quo Paretum Montani palam adstruit: nondum tamen in Catholicos velut Psychicos insultat. Non inepte recentiores critici arbitrantur hunc tractatum eundem esse quem in lib. de Corona, cap. 4, se editurum promisit de Quæstionibus Confessionum, utique contra pastores tempore persecutionum gregem suum deserentes. Orta inter Christianos contentione an persecutionis tempore fugere, aut auro argentove vexationem redimere sit licitum, Tertullianus, cum de hac quæstione ore tenuis non nihil dissereret, interrogatus a Fabio quodam familiari, demum hunc tractatum exaravit, in quo late contra orthodoxos probare conatur, ministris Dei in persecutione nec fugiendum esse, nec persecutio-

nem numerata pecunia redimendam, inter cætera ita disserens: *Si constat a quo persecutio eveniat, possumus jam consultationem tuam inducere, et determinare ex hoc ipso pertractatu fugiendum in persecutione non esse. Si enim persecutio a Deo evenit. Sicut duplex ratio offendit, quia neque debeat devitari neque evadi possit, quod a Deo evenit. Non debet devitari, quia bonus; necesse est enim bonum esse omne quod Deo visum est.* — Cætera, quæ in suæ sententiæ confirmationem addit pluribus persequi piget; quisque enim facile intelligit, insanire ibidem Tertullianum tam inepta argumentatione, cui Christi exemplum, atque Evangelium quo persecutionis tempore fuga præcipitur et sanctorum virorum auctoritas apertissime adversantur. LUMP.

CAPUT PRIMUM.

Quæsisisti proxime, Fabi frater (a), fugiendum necne sit in persecutione, quod nescio quid annuntiaretur. Ibidem ego oblocutus aliquid pro loco ac tempore, et quarundam personarum importunitate, semitratatam materiam abstuli mecum, plenius eam de stylo nunc renuntiaturus, utpote quam mihi (1) et tua consultatio commendarat, et conditio temporum suo jam nomine injunxerat. Quanto enim frequentiores imminet persecutiones, tanto examinatio procuranda est, quomodo eas excipere fides debeat. Procuranda autem examinatio penes vos, qui (2), si forte, Paracletum non recipiendo deductorem omnis veritatis, merito adhuc etiam aliis questionibus obnoxii estis. Igitur consultationi tuæ ordinem quoque induimus, animadvertentes ante determinari oportere de statu ipsius persecutionis, utrum a Deo obveniat (3), an a diabolo, quo facilius de obitu ejus constare possit. Omnis enim rei inspectio, auctore cognito, planior. Satis est quidem præscribere (4) nihil fieri sine Dei voluntate. Sed non statim hæc sententia cæteris retractatibus (5) locum dabimus, ne a præsentis articulo avocemur, si quis responderit: Ergo et malum a Deo, et delictum a Deo; nihil jam in diabolo, nihil etiam in nobis ipsis. De persecutione nunc quæritur. Circa hanc interim dixerim nihil fieri sine Dei voluntate, respiciens eam in primis dignam Deo esse, et, ut ita dixerim, necessariam, ad probationem scilicet servorum ejus sive reprobationem. Quis est enim exitus persecutionis, quis effectus alius, nisi probatio et reprobatio fidei, qua suos utique Dominus examinavit? Hoc omne (6) iudicium est persecutio per quam quis aut probatus aut reprobatus iudicatur. Porro iudicium soli Deo competit. Hæc pala illa (b), que et nunc Dominicam aream purgat, Ecclesiam scilicet, confusum acervum fidelium eventilans, frumentum martyrum (7) et paleas negatorum. Hæc enim (8), scalæ quas somniat Jacob, aliis ascensum in superiora, aliis descensum ad inferiora demonstrantes. Sic et agonem intelligi capit persecutionem. A quo certamen edicitur, nisi a quo corona et præmia proponuntur? Legis edictum agonis istius in Apocalypsi, quibus præmiis ad victoriam invitet, vel maxime illos qui proprie vicerint in persecutione, vincendo luc-

A tati, revera non adversus carnem et sanguinem, sed adversus spiritalia (*Ephes.*, VI, 12) nequitiae. Ita agnosces ad eundem agonothetam pertinere certaminis arbitrium, qui invitat ad præmium. Totum quod agitur in persecutione, gloria Dei est probantis et reprobantis, imponentis et deponentis. Quod autem ad gloriam Dei pertinet, utique ex voluntate illius eveniet. Sed quando Deus magis creditur, nisi cum magis timetur, nisi (9) in tempore persecutionis? Tunc Ecclesia in attonito est; tunc et fides in expeditione sollicitior et disciplinior in jejuniis et stationibus, et orationibus, et humilitate, in alterutra diligentia et dilectione (c), in sanctitate et sobrietate. Non enim vacatur nisi timori et spei. Adeo et ex hoc ipso ostenditur nobis non posse diabolo deputari eam, quæ meliores efficit Dei servos.

CAPUT II.

Si quod (10) iniquitas a Deo non est, sed a diabolo, persecutio autem ex iniquitate consistit (quid enim iniquius quam veri Dei antistites, omnis (11) sectatores veritatis, nocentissimorum more tractari?), ideo videtur persecutio a diabolo evenire, a quo iniquitas agitur, ex qua constat persecutio: scire debemus, quatenus nec persecutio est sine iniquitate diaboli, nec probatio fidei sine persecutione, propter probationem fidei necessariam iniquitatem, non patrocinium præstare persecutioni, sed ministerium; præcedere enim Dei voluntatem circa fidei probationem, quæ est ratio persecutionis, sequi autem diaboli iniquitatem ad instrumentum persecutionis, quæ ratio est probationis. Nam et alias, in quantum justitiæ iniquitas æmula est, in tantum materia est ad testimonia ejus, cujus est æmula; ut sic justitia in iniquitate perficiatur, quomodo virtus in infirmitate perficitur (*II Cor.*, XII, 9). Nam infirma mundi electa sunt a Deo, ut confundantur fortia; et stulta ejus, ut confundantur sapientia (*I Cor.*, I, 27). Ita et iniquitas adhibetur ut justitia probetur, confundens iniquitatem. Igitur quod ministerium non est arbitrii, sed servitii (arbitrium enim Domini, persecutio, propter fidei probationem, ministerium (12) autem iniquitas diaboli, propter persecutionis instructionem); ita eam per diabolum, si forte, non a diabolo evenire credimus. D Nihil Satanae in servos Dei vivi licebit, nisi permise-

LECTIONES VARIANTES.

- (1) Quam ei *Seml. Oberth.* quam mihi et *Rhen.*; quam et *Jun.*
 (2) Qui deest *Seml. Oberth.*
 (3) Obvenit *Fran.*
 (4) Prescribere *Seml. Oberth.*
 (5) Retractavimus *Seml. Oberth.* Retractaverimus, *Fran.*
 (6) Domini *Seml. Oberth. Leop.* Nomen *Rhen.*

- (7) Maturum *Rhen.*
 (8) Hæc etiam *Seml. Oberth. Leop.*
 (9) Nisi cum — persecutionis *Ecclesia Latin.*
 (10) Quoniam *Latin.*
 (11) Omnes *Seml. Oberth. Leop.*
 (12) Verba ministerium — instructionem nescio qua de causa omisit *Seml. ejusque sequax Oberth.*

COMMENTARIUS.

CAP. I.—(a) *Fabi frater.* Communi Christianorum nomine fratrem hic vocat. Quis autem fuerit, incertum. LE PR.

(b) *Hæc pala illa.* Recte *Rhenanus* interpretatur palam instrumentum rusticum: alludit enim ad illud *Matth.* III, juxta similem *B. Cypriani* versionem; quia veniet dominus ferens palam in manu sua, et

mundabit aream suam. PAM.

(c) *In alterutra diligentia et dilectione.* His verbis significat: quæcumque sunt christianæ pietatis erga Deum et proximum officia, quales fidelium inter se, diligentium et dilectorum affectus, etiam ethnici laudabant, et mirabantur, in *Apologet. Ric.*

rit Dominus, ut aut ipsum destruat per fidem electorum in tentatione victricem (1) : (a) aut homines ejus fuisse traducat, qui defecerint ad illum. Habes exemplum Job, cui diabolus nullam potuit incutere tentationem, nisi a Deo accepisset potestatem, nec in substantiam quidem ejus, nisi Dominus, *Ecce*, dixisset, *omnia que sunt ei, in manu tua do, in ipsum autem ne extenderis manum (Job, I, 12)*. Denique nec extendit, nisi posteaquam et hoc postulanti Dominus, *Ecce*, dixisset, *trado tibi illum, tantum animam ejus custodi (Job, II, 6)*. Sic et in Apostolos facultatem tentationis postulavit, non habens eam nisi ex permissa. Siquidem Dominus in Evangelio ad Petrum : *Ecce*, inquit, (b) *postulavit Satanæ uti cerne- ret vos velut frumentum : verum ego rogavi pro te, ne deficeret fides tua (Luc, XXII, 31)* : id est, ne tantum B diabolus permitteretur, ut fides periclitaretur. Quo ostenditur, utrumque apud Deum esse, et concussionem fidei, et protectionem, cum utrumque ab eo petitur, concussio a diabolo, protectio a Filio. Et utique cum Filius Dei protectionem fidei habet in sua potestate quam a Patre postulat, a quo omnem accipit potestatem in cælis et in terris (Matth. XXVIII, 18), quale est ut concussionem fidei diabolus in manu sua habeat? (c) Sed in legitima Oratione cum dicimus ad Patrem : *Ne nos inducas in tentationem (Matth. VI, 13)* (quæ aut major tentatio quam persecutio?) ; ab eo illam profitemur accidere, a quo veniam ejus deprecamur : hoc est enim quod sequitur : *Sed erue nos a maligno (ibid.)* ; id est, ne nos induxeris in tentationem, permittendo nos maligno. Tunc enim eruumur diaboli C manibus, cum illi non tradimur in tentationem. Nec in porcorum gregem diaboli legio habuit potestatem, nisi eam de Deo impetrasset, tantum abest ut in oves Dei habeat. Possum dicere, porcorum quoque setas tunc numeratas apud Deum fuisse ; nedum capillos sanctorum. Habere videtur diabolus propriam jam potestatem, si forte in eos qui ad Deum non pertinent, semel in *stillam situx (Is. XL, 15)*, et in *pulverem areæ (d)*, et in *salivam* nationibus deputatis a Deo, ac per hoc diabolo expositis in vacuum quodammodo possessionem. Cæterum, in domesticis Dei nihil illi licet ex propria potestate ; quia quando liceat, id est, ex quibus caussis, exempla in Scripturis signata demonstrant. Aut enim ex causa probationis conceditur ei jus tentationis provocato vel provocanti, ut in superioribus : aut ex causa reprobationis

A traditur ei peccator quasi carnifici in pœnam, ut Saul : *Et abscessit, inquit, spiritus Domini a Saule, et concutiebat eum spiritus nequam a Domino, et suffocabat (II Reg. XVI, 2)*. Aut ex causa cohibitionis (2), ut Apostolus refert (II Cor. 17, 7) (e) datum sibi sudem angelum Satanæ ut colaphizetur : nec hanc speciem permitti diabolo in sanctos humiliandos per carnis vexationem, nisi simul ut et virtus tolerantia scilicet in infirmitate perfici possit ; nam et ipse Apostolus Phigellum et Hermogenem tradidit Satanæ, *uti emendentur, ne blasphement (II Tim. I, 15)*. Vides jam et a servis Dei facilius diabolus accipere potestatem, tanto abest ut eam ex proprietate possideat.

CAPUT III.

Cum ergo et hæc exempla magis in persecutionibus eveniant, siquidem magis tunc probamur vel reprobamur, et magis tunc humiliamur vel emendamus, ab eo permittatur vel imperetur necesse est catholice fieri hæc, a quo et ex parte, scilicet ab illo qui dicit : *Ego sum qui facio pacem, et condo mala (Is. XLV, 7)*, id est bellum. Hoc est enim contrarium paci. Nostræ autem paci quid (3) est bellum, quam persecutio? Si persecutionis vel maxime exitus aut vitam afferunt aut mortem, aut plagam aut sanationem, habes auctorem ejusdem : *Ego percutiam, et sanabo; ego vivificabo, et mortificabo (Deut. XXXII, 39)*. *Uram, inquit, illos, sicut uritur argentum (4) ; et probabo, inquit, illos, sicut probatur aurum (Zach. XIII, 9)*. Cum enim exurimur persecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore. Hæc erunt *igneæ jacula (Eph. III)* diaboli, per quæ fidei ustio et conflatio administratur ; ex Dei tamen voluntate. De isto quis dubitare possit ignoro, nisi plane frivola et frigida fides, deprehendens eos qui timide conveniunt in Ecclesiam. Dicitis enim (5), Quoniam incondite convenimus, (6) simul convenimus, et complures concurrimus in Ecclesiam, querimur a nationibus, et timemus ne turbentur nationes. Annon (7) scitis quod Deus omnium sit Dominus? Et si velit Deus, tunc persecutionem patieris ; si vero noluerit, silebunt nationes. Credas utique ; si tamen in eum Deum credis, sine cujus voluntate nec passer unius assis cadit in terram (Matth. X, 29). Nos autem, puto, multis passeribus antistamus.

CAPUT IV.

Igitur si constat a quo persecutio eveniat, possu-

LECTIONES VARIANTES.

- (1) In tentationem victricem. *Seml. Oberth.*
 (2) Cohabitationis *Seml. Oberth.*
 (3) Quod *Pam. Seml. Oberth.*
 (4) Argentum aur. *Franeq.*

- (5) Inquit *addit Rigalt.*
 (6) Et *add. Seml. Oberth.*
 (7) Non *Rhen.*

COMMENTARIUS.

(a) Aut homines ejus fuisse traducat. Ostendat, demonstret homines fuisse diaboli, qui deserto Deo defecerint ad diabolum. *Rig.*

(b) *Postulavit Satanæ, uti cerne- ret vos.* Cernere pro eribrare, quod vox græca *συνίστασι*, *Luc, XXII*, significat, etiam Plinio usitatum est lib. XVIII, cap. 11. *Pam.*

(c) *Sed in legitima oratione.* Orationem legitimam dicit, quam nobis dictavit Christus cælestis juris pe-

ritus. Sic *precem legitimam* dixit Augustinus, *Serm. 125, de Temp. Rig.*

(d) *Et in salivam nationibus deputatis.* Despectum conspuendis. *Rig.*

(e) *Datum sibi sudem.* *Palum, Σκόλοπα τῆ σαρκί.* Sic lib. V adv. Marc. Creatorem dicit angelum Satanæ colaphizando apostolo suo applicuisse. *Rig.* — *Datum sibi sudem.* Stimulum, *σκόλοπα. LE Pn.*

(Quatre.)

mus jam (a) consultationem tuam inducere, et deter-
minare ex hoc ipso prætractatu, fugiendum in per-
secutione non esse. Si enim persecutio a Deo evenit,
nullo modo fugiendum erit quod a Deo evenit. Sicut
duplex ratio defendit (1), quia neque debeat evita-
ri, neque evadi possit quod a Deo evenit. Non debet
evitari, quia bonum. Necesse est enim bonum esse
omne quod Deo visum est. Et numquid ideo in Ge-
nesi sic positum est: *Et vidit Deus quia bonum esse*
(*Gen. I. pass.*); non quod ignoraret bonum esse,
nisi vidisset; sed ut hoc sono portenderet bonum
esse, quod Deo visum est? Multa quidem sunt, quæ
a Deo eveniant, et alicujus malo eveniant. Imo bo-
num est ideo, quia a Deo evenit, ut divinum et ra-
tionale. Quid enim divinum non rationale, non bo-
num? Quid bonum non divinum? Si autem sensui
cujusque videtur, non sensus hominis præjudicat (2)
statui, sed status sensui. Status enim uniuscujus-
que (3) certum quid est, et dat (4) sensui legem, ita
sentiendi statum, sicuti est. Si autem statu quidem
bonum quod a Deo venit (nihil enim a Deo non bonum,
quia divinum, quia rationale), sensui vero malum vi-
detur, erit status in tuto (5), sensus in vitio. Statu
optima res pudicitia, et veritas, et justitia, quæ a
multorum sensu displicent. Nunquid ideo status sensui
addicitur? Ita et persecutio statu bona est, quia
divina et rationalis dispositio; sensui eorum vero
quorum malo venit, displicet. Vides etiam illud ma-
lum rationem (6) apud Deum habere, cum quis in
persecutione evertitur de salute, sicut et illud bo-
num ratione contingere, cum quis ex persecutione
proficit in salute? Nisi si irrationaliter quis aut perit
apud Dominum, aut salvus est: is non poterit
persecutionem malum dicere, quæ etiam in mali (7)
parte bonum est (8), dum ratione administratur. Ita si
bonum persecutio quoquo modo, quia de statu con-
stat, merito definimus, quod bonum est, vitari non
oportere: quia delictum sit, quod bonum est recusa-
re; eo amplius, quod Deo visum est: jam vero nec
posse vitari, quia a Deo evenit, cujus voluntas non
poterit evadi. (b) Igitur qui putant fugiendum, aut
malum exprobrant Deo, si persecutionem uti malum
fugiant; bonum enim nemo devitat; aut fortiores se
Deo existimant, qui putant se evadere posse, si Deus
tale aliquid voluerit evenire.

- (1) Dependit *Pam. Seml. Oberth.*
(2) Præjudicavit *Fran.*
(3) Uusquisque *Rhen.*
(4) Sed dat *Seml. Oberth.*
(5) In toto *Rhen. Rig. Venet.*
(6) Rationale *Seml. Oberth.*
(7) Et jam in malis *Pam.*
(8) In malis par bonum est *Rhen. Seml. Oberth.*

LECTIONES VARIANTES.

- D (9) Præsumendo *Rigalt.*
(10) Si cum *Rhen.*
(11) Educere *Pam. Seml.*
(12) Ad constandum *Rhen.*
(13) Quanto *Rhen.*
(14) Misericordia, *Rhen.*
(15) Ea *Cod. Wouv.*

COMMENTARIUS.

CAP. IV.— (a) *Consultationem tuam inducere*, etc. Inducitur, inquit *Rhen.*, proprie quod deletur, hic consultationem inducere, est tollere dubium consultationis: exponit autem seipsum, cum addit, *et determinare*. In sequentibus est egregia ejusdem reco-
gnitio. *PAM.*

CAPUT V.

Sed, Quod meum est, inquit, fugio, ne peream si negavero; illius est, si voluerit, etiam fugientem me reducere in medium. Hoc mihi prius responde: Certus es te negaturum si non fugeris, an incertus? Si enim certus, jam negasti; quia præsumendo (9) te negaturum, id despondisti, de quo præsumpsisti; et vane jam fugis ne neges, qui si negaturus es, jam negasti. Si vero incertus es, cur non ex æqualitate incerti metus inter utrumque eventum, etiam confiteri te posse præsumis, et salvum magis fieri quominus fugias, sicut (10) negaturum te præsumis, ut fugias? Jam nunc aut in nobis est utrumque, aut totum in Deo. Si in nobis est confiteri aut negare, cur non id præsumimus quod est melius, id est, confesuros nos? nisi, si vis confiteri, pati non vis. Nolle autem confiteri, negare est. Si vero in Deo totum est, cur non totum relinquimus arbitrio ejus? agnoscetes virtutem et potestatem, quod possit nos sicut fugientes reducere (11) in medium; ita et non fugientes, imo et in medio populo conversantes obumbrare. Quale est, ut ad fugiendum Deo honorem reddas, qui possit te etiam fugientem producere in medium, ad contestandum (12) autem inhonore illum, desperans potentiam protectionis ab illo? Quare (13) non magis, ex hac parte constantiæ et fidei in Deum, dicis: Ego, quod meum est, facio, non discedo: Deus si voluerit, ipse me proteget: hoc potius nostrum est, stare sub Dei arbitrio, quam fugere sub nostro? (c) *Rutilius sanctissimus martyr*, cum totiens fugisset persecutionem de loco in locum, etiam periculum (ut putabat) nummis redemisset, post totam securitatem quam sibi prospexerat, ex inopinato apprehensus, et præsi oblatus, tormentis dissipatus, credo pro fugæ castigatione, dehinc ignibus datus, passionem, quam vitarat, misericordiæ (14) Dei retulit. Quid aliud voluit Dominus nobis demonstrare hoc documento, quam fugiendum non esse, quia nihil fuga prosit si Deus nolit?

CAPUT VI.

Imo, inquit, quia præceptum adimplevit, fugiens de civitate in civitatem. Sic enim voluit quidam, sed et ipse fugitivus, argumentari, et qui proinde nolunt intelligere sensum Domini illius pronuntiationis, ut eam (15) ad velamentum timiditatis suæ utantur, cum

(b) *Igitur qui putant fugiendum*. In codice Divionensi, *Eo ad igitur*. Ibidemque in margine, *Eo ad, id est, adeo*. *RIG.*

CAP. V.— (c) *Rutilius sanctissimus martyr*. Passus est in Africa cum Silvano et Maximo, ut ex martyrologio patet, in quo male, *Rutilus*. *LE PR.*

et personas suas habuerit et tempora et causas: Cum **A** *cæperint, inquit, persequi vos, fugite de civitate in civitatem (Matth. X, 23).* Hoc in personas (1) proprie Apostolorum, et in tempora, et in causas eorum pertinere defendimus, sicut (præcedentes (2) et) subsequentes sensus probant, qui nonnisi in Apostolos competunt: *In viam nationum ne ieritis, et in civitatem Samaritanorum ne introieritis; sed ite potius ad oves perditas domus Israelis (Matth. X, 5, 6).* Nobis autem et via nationum patet, in qua et inventi sumus, et usque in finem incedimus; et nulla civitas excepta est, qua per totum orbem prædicamus; sed nec cura nobis Israelis injuncta est extra ordinem, nisi qua et omnibus gentibus prædicare debemus. Etiam si apprehendamus, non in concilia eorum perducemur, nec in synagogis illorum flagellabimur, sed Romanis utique potestatibus et tribunalibus objiciemur. Sic (3) igitur et fugæ præceptum Apostolorum conditio desiderabat, quoniam primo prædicandum erat *ad oves perditas domus Israelis.* Ut ergo perficeretur prædicatio, apud quos (4) priores perfici oportebat, ut panem ante filii quam canes sumerent, ideo illis fugere tunc ad tempus præcipit: non propter eludendum (5) periculum proprio (6) nomine persecutionis (atquin persecutiones eos passuros prædicabat, et tolerandas docebat); sed propter profectum annuntiationis, ne, statim (7) oppressis, Evangelii quoque disseminationi perimeretur. Neque enim quasi tacite in aliquam civitatem transfugiendum erat, sed quasi ubique annuntiaturis, et ex hoc ubique persecutiones subituris, donec replerent doctrina sua (8). Denique (Matth. X, 53): *Non consummabitis, inquit, civitates Israelis.* Adeo intra terminos Judææ præceptum fugæ continebatur. Nobis autem nulla Judææ præfinitio competit prædicationis, in omnem jam carnem effuso Spiritu Sancto. Itaque Paulus, et Apostoli ipsi, memores præcepti dominici, contestantur illud apud Israel, quem jam doctrina sua impleverant: *Vobis oportuit imprimis sermonem Dei tradi. Sed quoniam repulistis eum, nec dignos vos æterna vita existimastis, ecce convertimus nos ad nationes (Act. XIII, 46).* Atque exinde conversi et ipsi, sicut antecessores instituerant, in viam nationum abierunt, et in civitates Samaritanorum introierunt; *ut in totam scilicet terram exiret sonus eorum, et in terminos orbis voces eorum (Ps. XVIII, 4).* Si ergo cessavit exceptio viæ **D** nationum, et introitus in civitates Samaritanorum, cur non cessaverit et fugæ præceptum pariter emissum? Denique ex quo saturato Israele Apostoli in nationes transierunt, nec fugerunt de civitate in civitatem, nec pati dubitaverunt. Atquin et Paulus, qui se per murum concesserat expediri de persecutione, qua ad hoc tempus erat præcepti; idem jam in clausula officii, et in consummatione præcepti,

discipulis magnopere deprecantibus, ne se Hierosolyma committeret, passurus illic quæ Agabus prophetaverat, sollicitudini eorum non subscripsit; sed e contrario: *Quid, inquit, facitis lacrymantes et conturbantes cor meum? Ego enim non modo vincula pati optaverim, sed etiam mori Hierosolymis pro nomine Domini mei Jesu Christi.* Atque ita omnes acierunt: *Fiat voluntas Domini (Act. XXI, 17).* Quæ erat voluntas Domini? utique non fugiendi jam persecutionem. Cæterum, poterant et priorem Domini voluntatem proposuisse qua fugere mandaverat, qui illum persecutionem vitasse maluerant. Igitur, cum etiam sub Apostolis ipsis temporale fuit fugæ præceptum, sicut et reliquorum præscriptorum, non potest apud nos perseverare quod apud doctores nostros concessavit, etsi non proprie ad illos fuisset emissum: aut si perseverare illud Dominus voluit, deliquerunt (9) Apostoli qui non usque in finem fugere curaverunt.

CAPUT VII.

Videamus nunc an et cætera Domini edicta congruant perpetuo fugæ præcepto. Primo quidem, si a Deo persecutio est, quale est ut idem fugiendam eam mandet, qui et infert? quam si evadi vellet, melius non immitteret, ne voluntate prævaricari videretur. Aut pati enim nos voluit persecutionem, aut fugere. Si fugere, quomodo pati? si pati, quomodo fugere? Jam vero quanta inæqualitas sententiarum jubentis fugere, et invitantis ad passionem, contrariam fugæ? *Qui confessus fuerit in me, et ego confitebor in illo coram Patre meo (Matth. X, 31).* Quomodo confitebitur fugiens? quomodo fugiet confitens? *Qui me confusus fuerit, et ego confundar eum coram Patre. (Marc. VIII, 38; Luc. XIX, 26).* Si devito passionem, confundo confessionem. *Felices qui persecutionem passi fuerint causa nominis mei (Matth. V, 11).* Infelices ergo qui fugiendo ex præcepto non erunt passi. *Qui sustinerit in finem, iste salvabitur (Matth. X, 22).* Quid ergo, me jubens fugere, vis in finem sustinere? Tanta diversitas sententiarum si non congruit divinæ gravitati, apparet ex his quoque præceptum fugæ suam tunc habuisse rationem quam ostendimus. Sed infirmitatem, inquit, quorundam prospiciens Dominus, pro sua humanitate nihilominus et portum fugæ demonstravit: non enim idoneus erat etiam sine fuga tam turpi et indigno, et servili præsidio salvos facere in persecutione, quos sciret infirmos. Atquin non fovet, sed recusat semper infirmos; primum docens non fugiendos esse persecutores, sed potius non timendos. *Nolite timere eos qui corpus occidere possunt, animam autem nihil valent facere. Sed timete eum qui et corpus et animam perdere potest in gehennam (Matth. X, 28).* Atque exinde quæ timidus præfinit? *Qui plures fecerit animam suam quam me, non est me dignus; et: Qui*

LECTIONES VARIANTES.

- (1) Persona Pam. Rhen.
 (2) Verba uncis inclusa Pamel. addidit recepitque Rig.
 (3) Si Rhen.
 (4) Apud nos Venet.
 (5) Elidendum. Rhen. Seml. etc.

- (6) Pro nomine Jun.
 (7) Statum Rhen. Jun.
 (8) Doctrinam suam Pan.
 (9) Dereliquerunt quidam male.

non tollit crucem suam et sequitur me, non potest esse meus discipulus (Luc. XIV, 26). Postremo, in Apocalypsi non fugam timidus offert, sed inter ceteros reprobos particulam in stagno sulphuris et ignis, quod est mors secunda (Cap. XXI, 8).

CAPUT VIII.

(a) Refugit et ipse vim interdum, sed eadem ratione qua Apostolis fugere præceperat; donec scilicet doctrinam suam implet; qua consummata, non dico stetit, sed nec auxilium a Patre angelorum exercituum desideravit, increpito etiam Petri gladio, professus quidem et ipse est animam anxiam usque ad mortem et carnem infirmam; ut tibi ostenderet, primo, in se utramque substantiam humanam fuisse, ex proprietate anxietatis animæ, et imbecillitatis carnis; ne alliam (ut quidam nunc induxerunt) aut carnem aut animam Christi interpretareris; dehinc, ut demonstratis conditionibus earum, scires illas nihil valere per semetipsas sine spiritu. Et ideo præponit, Spiritus promptus (Matth. XXVI, 41), ut utramque conditionem substantiæ utriusque respiciens, intelligas in te esse etiam fortitudinem spiritus, quomodo et infirmitatem carnis; ac jam hinc scias quid unde facias, et quid cui subicias; infirmum scilicet fortis, et nunc facis, de carnis quidem infirmitate caueris, de spiritus autem firmitate dissimules. Postulavit et ipse a Patre: Si fieri posset, transiret ab illo calix passionis. Postula et tu, sed stans ut ille, sed postulans tantum, sed subjungens et reliqua: Verum non quod ego volo, sed quod tu (Matth. XXVI, 29). Fugiens autem quomodo hoc postulabis, ipse tibi præstans calicis translationem, nec quod Pater vult faciens, sed quod tu?

CAPUT IX.

Omnia Apostoli secundum Deum utique docuerunt, omnia evangelizare (1) voluerunt. Ubi illos ostendis præceptum fugiendi de civitate in civitatem restaurasse? quia nec potuissent tale quid constituere tam contrarium exemplis suis, ut fugam mandarent; qui cum maxime de vinculis vel insulis, quibus ob confessionem, non ob fugam nominis, continebantur, ad Ecclesias scribebant. Infirmos sustinere jubet Paulus; utique enim non fugientes (quomodo enim sustinebantur absentes?). An patientia dicit sustinendos, sibi per infirmitatem fidei suæ offenderint? Sic et pusillanimes consolari, non tamen in fugam mitti. Sed cum admonet: Ne locum malo demus (Ephes. IV, 27), non fugæ suggerit consilium, sed iracundiæ docet temperamentum. Et si redimendum tempus dicit (Ephes. V, 16), quia dies nequam sunt; non per fugam, sed per sapientiam conversationis, (b) lucrari nos vult commeatum. Cæterum, qui lucere nos jubet

(1) Evangelii revolverunt Ed. 1. Rhem. prob. Jan.

CAP. VIII.—(a) Refugit et ipse vim interdum. Variis rationibus et exemplis, etiam Christi Domini fuga, quam eleganter explicat, fugiendum non esse probat. LE PA.
CAP. IX.—(b) Lucrari nos vult commeatum? Commeatum seculi dicit, moram in sæculo nostram. Lu-

velut filios lucis, non jubet fuga abscondi ut filios tenebrarum. Stare immobiles præcipit, utique nec fuga mobiles, et accinctos, in fugam an in occursum Evangelii? Arma quoque demonstrat, quæ fugitivis non essent necessaria, inter quæ et clypeum, quo possitis tela diaboli extinguere (Eph. VI, 16), resistentes sine dubio, et excipientes omnem vim illius. Proinde et Joannes pro fratribus quoque animas ponendas docet (1 Joan. III, 16), nedum pro Domino. Hoc a fugientibus non potest adimpleri. Denique memor Apocalypsis suæ, in qua timidorum exitum audierat, de sensu admonet et ipse timorem rejiciendum. Timor, inquit, non est in dilectione. Sedenim perfecta dilectio foras mittit timorem; quia timor supplicium habet, utique ignem stagni. Qui autem timet, non est perfectus, in dilectione Dei scilicet. Porro, quis fugiet persecutionem, nisi qui timebit? Quis timebit, nisi qui non amavit? Spiritum vero si consulas, quid magis sermone illo Spiritus probat? Namque omnes pene ad martyrium exhortatur, non ad fugam, ut et illius commemoremur: Publicaris, inquit, bonum tibi est. Qui enim non publicatur in hominibus, publicatur in Domino. Ne confundaris, justitia te producit in medium. Quid confunderis, laudem serens? Potestas sit, cum conspiceris ab hominibus. Sic et alibi: Nolite in lectulis, nec in aborsibus et febribus mollibus optare exire, sed in martyriis; ut glorificetur qui est passus pro vobis.

CAPUT X.

Sed omissis quidam divinis exhortationibus, illum magis Græcum versiculum sæcularis sententiæ sibi adhibent: Qui fugiebat, rursus præliabitur (c); ut et rursus forsitan fugiat. Et quando vincet, qui, cum fugerit, victus est? Bonum militem Christo imperatori suo præstat, qui tam plene ab Apostolo armatus, tuba persecutionis audita, diem deserit persecutionis? Respondebo et ego de sæculo aliquid:

Usque adeone mori miserum est?
(Virg. Æn. XII, 646.)

Moriatur quoquo modo, aut victus, aut victor. Nam etsi negando ceciderit, cum tormentis tamen præliatus. Malo miserandum quam erubescendum. Polchrior est miles in prælio amissus, quam in fuga salvus. Times hominem, christiane, quem timeri oportet ab angelis, siquidem angelos judicaturus es; quem timeri oportet a dæmoniis, siquidem et in dæmonas accepisti potestatem; quem timeri oportet ab universo mundo, siquidem et in te mundus judicatur. Christum indutus es, siquidem in Christum tinctus es. Qui fugis diabolum, depreciaisti Christum, qui in te est. Fugitivum cum diabolo te reddidisti. Sed Dominum fugiens, exprobras omnibus fugitivis sui vanitatem consilii. Fugerat et quidam animosus pro-

LECTIONES VARIANTES.

COMMENTARIUS.

erari autem nos vult commeatum, hoc est, pro lucro nobis poni diem, quencumque innocenter, sive, ut ait, sapienti conversatione, transigimus. RIC.

(c) Ἀντὶ τῆς φρίκης καὶ τῶν θυμωμένων;

phetes Dominum, trajecerat ab Joppe Tarsum, quasi a Deo transfretaret; sed illum non dico in mari et in terra, verum in utero etiam bestiae invenio, in quo nec mori per triduum potuit, nec vel sic Deum evadere. Quanto melius Dei servus? qui sive inimicus Dei imminet, non fugit eum; sed potius contemnit, confidens scilicet de tutela Domini; sive Deum reformidat, quanto magis sub oculis ejus astitit, dicens: Dominus est, potens est: omnia illius sunt: ubi ubi fuero, in manu ejus sum; faciat quod vult, non discedo; et si perire me volet, ipse me perdat, dum me ego servo illi. Malo invidiam ei facere per voluntatem ipsius pereundo, quam bilem, per meam evadendo.

CAPUT XI.

Hoc sentire et facere omnem servum Dei oportet, etiam minoris loci, ut (a) majoris fieri possit, si quem gradum ex persecutionis tolerantia ascenderit. (b) Sed cum ipsi auctores, id est, (c) ipsi diaconi, presbyteri et episcopi fugiunt, quomodo laicus intelligere poterit, qua ratione dictum (Math. X, 23), *Fugite de civitate in civitatem?* Itaque (d) cum duces fugiunt, quis de gregario numero sustinebit ad gradum in acie figendum suadentes (1)? Certe quidem bonus pastor animam pro pecoribus ponit; ut Moyses, non Domino adhuc Christo revelato, etiam in se figurato, ait (Exod. XXXII, 52): *Si perdis hunc populum, inquit, et me pariter cum eo disperde.* Cæterum, Christo confirmante figuras suas, *malus pastor est, qui viso lupo fugit, et pecora diripienda derelinquit* (Joan. X, 12); projicietur de villa pastor hujusmodi: (e) detinebuntur illi missionis (2) suæ mercedes (3) in compensationem (4); imo et de priore peculio ejus exigetur detrimenti dominici restitutio. Etenim *qui habet, dabitur ei; ab eo autem qui non habet, etiam quod videtur habere auferetur* (Math. XIII, 12). Sic Zacharias (XIII, 7) comminatur: *Exsurge romphæa in pastores, et evellite oves, superducam manum meam in pastores.* In quos et Ezechiel (Ezech. XXXIV, 2) et Hieremias iisdem nominis perorant, quod non tantum de pecoribus improbe vescantur, pascentes potius semetipsos, verum quod (5)

dispersum gregem faciant in prædam esse omnibus bestiis agri, dum non est pastor illis. Quod nunquam magis fit, quam cum in persecutione destituitur Ecclesia a Clero. Si et Spiritum quis agnoverit, audiet et fugitivos denotantem. Porro, si eos qui gregi præsumt, fugere, cum lupi irruunt, nec decet, imo nec licet (qui enim talem pastorem malum pronuntiavit, utique damnavit, omne autem quod damnatur, illicitum factum est sine dubio), ideo præpositos Ecclesiæ in persecutione fugere non oportebit. Cæterum, si grex fugere deberet, non deberet præpositus gregis stare, sine causa staturus (6) ad tutelam gregis, quam grex non desideraret, ex licentia fugæ scilicet.

CAPUT XII.

Quod pertineat, frater, ad tuum problema, habes sententiæ nostræ responsionem et exhortationem. Porro, qui quaerit, an persecutio fugienda sit, sequentem quoque quaestionem jam prospiciat necesse est, an, si fugienda non est, redimenda certe sit. Ultro igitur et de hoc tibi suggeram, definiens persecutionem, quam constat non esse fugendam, proinde nec redimendam. Pretium interest. Cæterum, sicut fuga redemptio gratuita est, ita redemptio nummaria fuga est. Certe et hujus timiditatis (7) consilium est. Quod times, redimis; ergo fugis. (f) Pedibus stetitisti, cucurristi nummis. Hoc ipsum quod stetitisti ex redemptione, fugisti. Ut autem redimas hominem tuum nummis, quem sanguine suo redemit Christus, quam indignum Deo et dispositione ejus, qui *Filio suo non pepercit pro te, ut fieret maledictum pro nobis; quia maledictus qui pependerit in ligno; qui tanquam ovis ad victimam ductus est, et tanquam agnus ante tondentem, sic non aperuit os; sed posuit dorsum suum in flagella, maxillas autem in palmas, et faciem non avertit a sputaminibus, et inter iniquos deputatus est* (Is. LIII), et traditus est in mortem, mortem autem crucis: totum hoc, ut nos a peccatis lucraretur! (g) Sol cessit diem emptionis nostræ. Apud inferos emancipatio nostra est, et stipulatio nostra in cælis. *Sublevatae sunt*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Suadere Rhen. Semler. figendam suadere Pam.

(2) Missionis Latin.

(3) Vel inser. Lat.

(4) Suæ in compensatione Pam.

(5) Et Seml. Rhen.

(6) Debere præpositos g. s. s. e. staturus Rhen.

D (7) Timiditas cod. Wouw.

COMMENTARIUS.

CAP. XI. — (a) *Ut majoris loci fieri possit.* Sic libro de Baptismo, majores dicit eos, qui in ordinem ecclesiasticum sunt adlecti. RIC.

(b) *Sed cum ipsi auctores.* Auctores dicit Ecclesiæ præpositos et magistros, quos penes est Ecclesiæ habendæ auctoritas. Et in Glossis Philoxeni, *Auctor, ἀρχηγός, ἀδθέντης*, et in Agrimensorum libris auctores absolute ponuntur pro doctoribus et magistris. RIC.

(c) *Ipsi diaconi, presbyteri et episcopi fugiunt.* Hoc dedecus exprobrat lib. de Corona: *Novi et pastores eorum, in pace leones, in prælio cervos.* RIC.

(d) *Cum duces fugiunt.* Hoc est auctores, ut modo dixit, et pastores, qui in pace leones, in prælio cervi esse solent, ut exprobrat de Cor. mil. c. 1. Ad quos adduco illud Aristophanis: *Οἴκοι μὲν λέοντες, ἐν μάχῃ δὲ ἄλωπιες.* *Domus quidem leones, in pugna vulpes.* LE PR.

(e) *Detinebuntur illi missionis suæ mercedes in compensationem.* Pecoris scilicet a lupo direpti per negligentiam aut perfidiam pastoris, cujus fidei vigilantiaque commissum fuerat pacta commissionis mercede. RIC.

CAP. XII. — (f) *Pedibus stetitisti, cucurristi nummis.* Hæc propter Libellaticos qui iudicibus libellum offerebant, quo se christianos esse profitebantur, adeoque sibi non licere profanorum sacris contaminari; pœnam vero numerata pecunia redimebant. Iis autem non multo mitior fuit Ecclesia quam lapsis, sive ἐπίταθουσαι εἰδωλοῖς. LE PR.

(g) *Sol cessit diem emptionis nostræ. Apud inferos emancipatio nostra, et stipulatio nostra in cælis.* Solem dicit repræsentasse emptionis nostræ diem, quo die Christus Dominus surrexit a mortuis. Itaque cessit dies Solis in diem redemptionis nostræ. Christi

portæ sempiternæ, ut introiret rex gloriæ, Dominus virtutum (Ps. XXIII, 9), hominem de terris, imo ab inferis, mercatus in cœlos. Quis est nunc qui adversus illum reluctatur, (a) imo dopretiat (1), et mercedem ejus tam magno comparatam, pretiosissimo scilicet sanguine, commaculat? Jam ergo melius fugere quam fieri viliores, si non tanto sibi constabit homo, quanti constitit Domino. Et Dominus quidem illum redemit, ab angelis munditinentibus potestatibus, a spiritalibus nequitæ, a tenebris hujus ævi, a judicio æterno, a morte perpetua. Tu autem pro eo pacisceris cum delatore, vel milite, vel furunculo aliquo præside, sub tunica et sinu (quod aiunt) ut furtivo, quem coram toto mundo Christus emit, imo et manu misit! Hunc ergo liberum pretio æstimabis, et pretio possidebis, nisi eodem, quanto (ut diximus) Domino constitit, sanguine suo scilicet? (b) Ut quid ergo de homine Christum redimis in homine, in quo Christus est? Non aliter et Simon facere tentavit, cum pecuniam Apostolis obtulit pro spiritu Christi. Audiet ergo et iste, qui se redimens, Christi spiritum redemit: *Pecunia tua tecum sit in interitum, quoniam gratiam Dei pretio consequendam putasti* (Act. ap. VIII, 20). Quis talem abnegatorem spernat (2)? Quid enim dicit ille concussor? Da mihi pecuniam. Certe ne eum tradat; siquidem non aliud venditat, quam quod præstaturus est præmio tuo. Cum das, utique ne tradaris voluisti. Non traditus autem (3), traduci habebas. Ergo dum nolendo tradi non vis traduci, nolendo negasti, quod te esse traduci noluisti. Imo, inquis, dum nolo traduci quod sum, sum confessus id esse quod nolo traduci, id est, christianum. Potes itaque te martyrem vindicare? constanter ostendisse Christum? Redimens, non ostendisti. Apud unum si forte confessus es, ergo et apud plures nolendo confiteri, negasti. Ipsa salus judicabit hominem excidisse, dum evadit. Excidit ergo qui maluit evasisse. Negatio est etiam martyrii recusatio. Christianus pecunia salvus est; et in hoc nummos habet ne patiat, dum adversus Deum erit dives. Atenim Christus sanguine fuit dives pro illo: *Felices itaque pauperes, quia illorum est, in-*

quit (Matth. V), *regnum cœlorum*, qui (c) animam solam in confiscato habent. Si non possumus Deo servire et mammonæ, possumus a Deo redimi et a mammona? Quis enim magis serviet mammonæ, quam quem mammonas redemit? Postremo, quo exemplo uteris in redemptionem traditionis? Apostoli (4) persecutionibus agitati (d), quando se pecunia tractantes (5) liberaverunt? quæ illis utique non deerat, ex prædiorum pretiis ad pedes eorum depositis; certe multis locupletibus credentibus viris ac fœminis, qui his etiam refrigeria subministrabant. Quando Onesiphorus, aut Aquila, aut Stephanus, hoc modo eis in persecutione succurrerunt? Paulus quidem, cum Felix præses pecunias accepturum se pro eo a discipulis sperasset, de quo et ipse in secreto tractavit cum ipso, neque ipse pro se, neque discipuli pro eo numerarunt. Illi utique discipuli, qui flentes quod (6) Hierosolymam tendere perseveraret, et persecutiones prædicatas illie non præcaveret, postremo inquirunt: (e) *Fiat voluntas Dei* (Act. XXI, 14). Quæ ista voluntas? Utique ut pateretur pro nomine Domini, non ut redimeretur. Oportet enim, *quomodo Christus animam suam posuit pro nobis* (I Joann. III, 16), *ita fieri pro eo et a nobis*; nec tantum pro ipso, imo etiam *pro fratribus* propter ipsum. Quod Joannes docens, non et fratribus numerandum, sed moriendum potius pronuntiavit. Nihil interest, si quem christianum redimere non debeas, aut emere. Et adeo voluntas Dei sic est. Aspice (7) regnorum et imperiorum utique a Deo dispositum statum (8), *in cujus manu cor regis* (Prov., XXI, 1): tanta quotidie ærario augendo prospiciuntur remedia censuum, vectigalium, collationum, stipendiorum: (f) nec unquam usque adhuc ex Christianis tale aliquid prospectum est, sub aliquam redemptionem (9) capitis et sectæ redigendis, cum tantæ multitudinis nemini ignotæ fructus ingens meti posset. Sanguine empti, sanguine munerati (10), nullum nummum pro capite debemus; quia caput nostrum Christus est. Non decet Christum pecunia constare. Quomodo et martyria fieri possent in glo-

LECTIONES VARIANTES.

- (1) De pretio *Seml.*
 (2) Tamen abnegatorem *Rhen. Pam. Seml.* ab negatore *D* rem *Lat.* spernatur *Seml.*
 (3) Ne *addit. Latin.*
 (4) Tractantes *add. Rhen. Seml.*
 (5) Tractantes *hic abest Rhen. Seml.*

- (6) Neque *add. Rhen. Seml. Oberth.*
 (7) Ab apice *Pam. Paris. Fran.*
 (8) Disposito statu *Pam. Fran. Paris.*
 (9) Aliqua redemptione *Rhen. Seml. Oberth.*
 (10) Numerati *Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

morte emancipatio nostra celebrata est. Emptor familiæ Christus moriens. Emptor ipse et pretium. Merx et familia homo. Stipulator in cœlis Deus. Emptionis nostræ sponsor et pretium Christus ad Patrem regrediens, summæ totius arrhabonem intulit cœlo. Ric.

(a) *Imo dopretiat mercem.* Cupiens redemptam vilibus nummis. Mercedem vocat hominem Christi sanguine redemptum. Ric.

(b) *Ut quid ergo de homine Christum redimis in homine in quo Christus est?* Hoc sibi vult Septimius: Quid ab homine ethnico, delatore scilicet vel milite, vel furunculo præside christianæ sectæ licentiam tibi redimis, tibi, inquam, christiano, qui si christianus es, Christum in te habes, quid pecunia redimis spiri-

tum Christi, hoc est, ut tibi vivere liceat christiano? Itaque mox dicit Septimius: Non decet Christum pecunia constare. Ric.

(c) *Animam solam in confiscato habent.* Verbo *confiscatum* usus est Suetonius, ubi pecuniam dicens confiscatam intelligit asservatam in fideis. LE PN.

(d) *Apostoli tractantes, persecutionibus agitati quando se pecunia liberaverunt?* Hæc ita restituebat Pithæus, *Apostoli persecutionibus agitati, quando se pecunia tractantes liberaverunt?* Ric.

(e) *Fiat voluntas Dei*, Justinus, Apologia II, pro Christ.: *ὁ φίλον τῶ θεῷ, τὸ ἴτερον γυνήθεα.* Ric.

(f) *Nec unquam usque adhuc ex Christianis tale aliquid prospectum, etc.* Sed paulo post factum fuisse colligitur ex iis, quæ apud Cyprianum leguntur de libellaticis. Ric.

riam Domini, si tributo licentiam sectæ compensaremus? Itaque qui eam præmio paciscitur, dispositioni divinæ adversatur. Cum igitur nihil nobis Cæsar indixerit in hunc modum stipendiariæ sectæ, sed nec indici unquam tale quid possit, (a) Antichristo jam instante, et in sanguinem, non in pecunias hiante Christianorum, quomodo mihi proponere potest (1) Scripturam esse: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari?* Miles me, vel delator, vel inimicus concutit, nihil Cæsari exigens, imo contra faciens, cum christianum, legibus humanis reum, mercede dimittit. Alius est denarius, quem Cæsari debeo, qui ad eum pertinet, de quo tunc agebatur, tributarius; a tributariis scilicet, non a liberis debitus. Aut quomodo reddam quæ sunt Dei Deo? Utiq; proinde (b) imaginem et monetam ipsius, inscriptam nomine ejus, id est, hominem christianum. Quid autem Deo debeo, sicut denarium Cæsari, nisi sanguinem, quem pro me Filius fudit ipsius? Quod si Deo quidem hominem, et sanguinem meum debeo; nunc (2) vero in eo sum tempore, ut quod Deo debeo expostuler; utique fraudem Deo facio, id agens, ne quod debeo solvam. Bene observavi præceptum, Cæsari reddens quæ sunt Cæsaris, Deo vero quæ sunt Dei abnegans?

CAPUT XIII.

Sed et omni petenti me dabo (Matth., V, 42). In causa elemosynæ, non in concussuræ. *Petenti*, inquit. Porro, qui concutit (3), non petit. Qui comminatur, si non acceperit, non postulat, sed extorquet. Non elemosynam expectat, qui non miserandus, sed timendus venit. Dabo igitur misericordiæ (4), non timiditatis meæ nomine; ubi qui accepit, Deum honorat, et benedictionem mihi reddit; non ubi amplius se benefactum præstitisse credit, et (c) prædam suam aspiciens dicit: « De reatu est. » (d) Pa-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Potes Jun.

(2) Cum Oberth. Seml. Rhen.

(3) Incutit Oberth. Seml. Pam. Rhen.

(4) Misericordiam Rhen.

scam et inimicum (5). Sed inimicitia alios habent titulos. Non tamen dixit traditorem, aut percussorem, aut concussorem. Nam huic quanto magis carbones acervabo super caput, si non me redemero? Proinde, inquit, *qui tibi tunicam sustulerit, vel etiam pallium concede*, ad eum pertinet, qui rem, non qui fidem meam eripere quæsierit. Concedam et pallium non minanti traditionem. Si minatus fuerit, etiam tunicam reposcam. Omnium jam nunc dominicarum pronuntiationum (6) sui (7) sunt et causæ et regulæ termini, non in infinitum, nec ad omnia spectant. Atque adeo qui omni petenti dari jubet, ipse signum petentibus non dat. Alioquin si omnibus passim petentibus dandum putas, tu mihi videris, non dico vinum febricitanti, sed etiam venenum, aut gladium mortem desiderant daturus. *Facite autem vobis amicos de mammona* (Luc. XVI), quomodo intelligendum sit, parabola præmissa doceat, ad populum judaicam dicta, qui commissam sibi rationem Domini cum male administrasset, deberet de mammonæ hominibus, quod nos eramus, amicos sibi potius prospicere, quam inimicos; et revelare nos a debitis peccatorum, quibus Deo detinebamur, si nobis de dominica ratione conferrent; ut cum cœpisset ab hujus deficere gratia, ad nostram fidem refugientes, reciperentur in tabernacula æterna. Quamvis nunc puta aliam interpretationem parabolæ et sententiæ istius, dum scias verisimile non esse ut concussores nostri in amicitiam redacti per mammonam, recipiant tunc nos in tabernacula æterna. Sed quid non timiditas persuadet? quasi et fugere Scriptura permittat, et redimere præcipiat. Parum denique est, si unus aut alius ita eruiat. (e) Massaliter totæ ecclesiæ tributum sibi irrogaverunt. Nescio dolendum an erubescendum sit, cum in matricibus (f) beneficiariorum et curioso-

COMMENTARIUS.

(a) *Antichristo jam instante*. Haud aliter Judas opus suum in hebdomadas Danielis usque ad decimum Severi annum producens, adventum Antichristi eo tempore prædixisse videtur. Refert. B. Hieronymus in Catal. script. et Niceph., lib. V, c. 35. In quo (inquit ibid. B. Hieron.), erroris arguitur; sed hoc ideo scripsit, quia magnitudo persecutionis præsentem mundi minabatur occasum. ΡΑΜ.

(b) *Imaginem et monetam ipsius, id est, hominem christianum*. Ignatius epist. ad Magnesianos: ὁ θεοσεβῆς ἀνθρώπος, νόμισμα ὑπὸ τοῦ θεοῦ χαραχθέν. RIC.

CA. XIII. — (c) *Prædam suam aspiciens dicit, De reatu est*. Concussor scilicet aspiciens nummos, quibus acceptis christianum jam comprehensum dimisit: Hoc de reatu est, inquit. Hæc merces, inquit, dimissa a me seclerati. Hoc pretium meæ prævaricationis perfidiæque.

(d) *Pascam et inimicum*. Verba sunt christiani tractaturi super redemptione persecutionis, et oblaturi nummos militi, vel delatori, vel inimico concutienti. Hæc autem antea erant corruptissima. Restituimus ex lib. Ursini. RIC.

(e) *Massaliter totæ ecclesiæ tributum sibi irrogave-*

(5) Ita Rig. de reatu irascar et inimicum. Pamel.

(6) V. pronuntiationum inseruit Rigalt.; abest a Pam. Rhen. cogitando suppleri jubet; sententiarum.

(7) Suae Pam.

runt. Serie capitum juncta massam fecere vectigalium christianorum. Sic Optatus, lib. II, sub finem: *Et tamen has plebes coegistis flectere et inclinare cervices, et serie capitum juncta massam poenitentium facere.*

RIC.

(f) *Beneficiariorum et curiosorum*. Beneficarii dicebantur milites beneficio Principis assumpti ad officia seu ministeria certa. Itaque apparebant Principi, mandatis exsequendis. Ex eorum schola seu corpore erant curiosi, cursus publici curæ præpositi, qui et stationarii dicebantur, per stationes dispositi. His autem inter cætera hoc numeris injungit lex prima, C. de Curiosis, *ut crimina judicibus nuntianda meminerint*. Ergo reorum nomina requirebant, ac deferebant, ipsos reos sistebant tribunalibus et judicio. Vetus historia passionis Fructuosi episcopi: *Dixerunt beneficiarii in domum ejus; et paulo post: Cui milites dixerunt: Veni. Præses te accersit*, etc. Scriptor anonymus vitæ Chrysostomi apud Suidam: ἀλαβόμενος ὑπὸ τῶν Κουρίστων τὴν πόλιν; et apud Euseb. Histor. ecclesiast. lib. IX, c. 9: Βενεφικιαρίων ὕβρεις καὶ σεισμοί; hujusmodi autem officia tandem in prævaricationes et rapinas et concussionem degeneravere, conniven-

rum, (a) inter tabernarios, et lanios, et (b) fures balnearum, et aleones, et lenones, Christiani quoque vectigales continentur. Hanc episcopatus formam Apostoli providentius condiderunt (c) ut regno suo securi frui possent sub obtentu procurandi (1). Scilicet enim (d) talem pacem Christus ad Patrem regrediens, mandavit a militibus per saturnalia redimendam.

CAPUT XIV.

(e) Sed quomodo colligemus, inquis, quomodo dominica solemnia celebrabimus? Uti que quomodo et Apostoli; fide, non pecunia tuti; quæ fides si montem transferre potest, multo magis militem. Esto sapientia, non præmio cautus. (f) Neque enim statim et a populo eris tutus, si officia militaria redemeris. Una ergo tibi et fide, et sapientia, ad tutelam opus est: quibus non adhibitis, et redemptionem tuam potes perdere; adhibitis, haud redemptionem desiderare. Postremo si colligere interdiu non potes, (g) habes noctem, luce Christi luminosa (2)

A adversus eam. Non potes discurrere per singulos: sit tibi et in tribus Ecclesia. (h) Melius est turbas tuas aliquando non videas, quam addicas. Serva Christo virginem sponsam. Nemo quæstum de ea faciat. Hæc tibi, frater, dura forsitan et intolerabilia videntur. Sed recita Deum dixisse: *Qui capit, capiat* (Math. XXIX, 12); id est, qui non capit, discedat. Non potest qui pati timet, ejus esse qui passus est. At qui pati non timet, iste perfectus erit in dilectione, utique Dei. *Perfecta enim dilectio foras mittit timorem* (Joan. IV, 18). *Et ideo multi vocati, pauci electi* (Math. XXII, 14). *Non queritur qui latam viam sequi paratus sit, sed qui angustam* (Math. VII, 13; Luc., XIII, 24). Et ideo Paracletus necessarius deductor omnium veritatum, exhortator omnium tolerantiarum: quem qui B receperunt, neque fugere persecutionem, neque redimere noverunt, habentes ipsum qui pro nobis erit, sicut locuturus in interrogatione, ita juvaturus in passione.

LECTIONES VARIANTES.

(1) A. Neander conj. v. pacem hic excidisse ac restituendam esse.

(2) Luce Christi luminosi then. — Noctem luce Christi luminosam cod. Urs. et Wouav.

COMMENTARIUS.

tibus plerumque hominum pessimorum improbitati beneficiariis et curiosis. Nam et ipsi pensionibus annuis aut mensuris corrupti, tabernariorum, ganeonum, furum, lenonum scelera dissimulabant; ita ut domi servarent matriculas turpium hujusmodi pactionum. Cum igitur et in Christianos mandata principum sive proconsulum aut præsidum tanquam in facinorosos atrociter exsequerentur, tandem et istis Christiani quoque pecunias pacis pensionibus numerare cæperunt. Hoc Septimius nomini christiano turpe ac pudendum esse ait, in matricibus beneficiariorum et curiosorum, inter ganeones et fures, et tabernarios, et lenones, Christianos quoque vectigales censeri. Ric.

καὶ τὰς κενὰς τῶν ἱματιοφυλακτῶν καὶ σαρκῶν, quid referam præterea palæstras, et communes capsariorum apparatus? Legunt hic nonnulli balneariorum, quod idem est, quam visum Gloss. fur balnearius, βαλναρῶν λέπτες. LE PR.

(a) Inter tabernarios, et lanios. Laniorum tabernæ in scriptorum monumentis reperiuntur. Et lanios in matricula tabernariorum censitos nemo ambigit. Itaque mendosum esse videatur, quod hic separatim notantur. Certe in exemplaribus antiquis scriptum fuisse *janeos* et *juneos*, testatur Rhenanus; quasi ganeos dixerit Septimius pro ganeonibus. Sic enim lib. II ad Uxorem, tabernæ adjunxit ganeam: *Audiat sane*, inquit, *audiat aliquid de scena, de taberna, de gança*, quod in vulgatis editionibus depravatum antea legebatur, de *geenna*. Et Ammiani Marcellini lib. XXVIII, ubi legitur, *per Janos et fora clamitant*, legendum, *per ganeas et fora*. Verumtamen, cum illius ævi Christianos tantum ab sanguine et cruore abhorruisse sciamus, ut etiam botulis et cæteris hujusmodi eduliis studiosissime abstinerent, facile mihi persuaderi patiar, Tertullianum hoc loco lanios ab generali tabernariorum appellatione exemisse, quo magis negotii, de quo agitur, fœditatem extolleret. Ric.

(c) Ut regno suo securi frui possent sub obtentu procurandi. Jam episcopatus in regnum surgebat, si credimus Septimio, adversus Ecclesiam romanam sive catholicam scribenti. Sane Ammianum Marcellinum minime audirem, talibus orta principiis libro XXVII narrantem, nisi Sulpicii Severi supremis Historiæ sacræ verbis etiam atrociora traderentur. Ric.

(b) Fures balnearum: Apol. 44, dicuntur *lavan-tium prædones*. Infamis habebatur miles in furto balneario deprehensus, l. fin. D. de fur. noct. vel baln. Contra illas injurias adhibebantur servi qui *Capsarii* sive *ἱματιοφύλακες* dicuntur, quique aliis etiam usibus serviebant. Paull., l. III, de off. præf. vig. Unde Lucianus Hippia, *Τὶ ἄν σοι ἐπὶ τοῦτο λέγοιμι, παλαίστρας,*

(d) Talem pacem Christus mandavit a militibus per saturnalia redimendam. Aut scribendum saturnalia, aut dicendum saturnalia munera significari, quæ saturnaliæ celebritatis occasione militibus sive officia lib. proconsulis aut præsidis Christiani mittebant, ut eos haberent æquiores et clementiores... Saturnalia munerum et streuarum dies fuere. Unde illud Martialis, IV:

Saturnalia fructuosiora
Annis non habuit decem Sabellus.

CAP. XIII.—(e) Sed quomodo colligemus? Πῶς συλλέγομεν; Irinæus, lib. III, cap. 3: *Confundimus omnes eos qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitate et malam sententiam, præterquam oportet colligunt*. Optatus lib. II: *Non enim grex aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta et quod excurrit basilicas, locum ubi colligerent non habebant*. Ric.

(f) Neque enim statim et a populo tutus eris, si officia militaria redemeris. Etsi nummis oblatis concussos illos, beneficiarios et curiosos placaveris, pacemque ab iis redemeris, non statim et a populi furentis rabie tutus eris. Ric.

(g) Habes noctem luce Christi luminosam. Sic liber Ursini. Quod sequitur, *adversus eam*, prave insertum detrahi velim. Ric.

(h) Melius est turbas tuas aliquando non videas, quam addicas. Nempe tributariæ servituti. Ric.